DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
SISTENS

ARTHRITIDES,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae & Chirurgiae Laurea,

SUMMISQUE IN MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

in celeberrima

C. R. MILITARI SCIENTIARUM

ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA

publicae eruditorum disquisitioni submittit

Carolus Stempel,

Bohemus Hermano-Mestecensis,

Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in Palatio Academiae Josephinae die . mensis Aprilis 1841.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

PERILLUSTRI, SPECTABILI

AC

DOCTISSIMO

Domino Domino

Augusto Willerding,

Medicinae et Chirurgiae Doctori,

OPHTHALMIATRICES ET ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRO, IN SCHOLA PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS MEDICORUM IN ACADEMIA CAES. REG. MEDICO-CHIRURG. JOSEPHINA ASSISTENTI ORDINARIO, NEC NON MEDICO CASTRENSI SUPERIORI

etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

nec non

Humanitate et Probitate

AEQUE INSIGNI

summo

BONARUM LITERARUM

AESTIMATORI ET MAECENATI

TAMQUAM ANIMI GRATISSIMI

sincerique cultus

MONUMENTUM

pia cum devotione

has studiorum suorum primitias sacratas esse vult

devinctissimus

Auctor.

Denominatio et definitio morbi.

Medici antiquioris aevi, quorum princeps Stahl innotuit, de natura processus arthritici clariorem conceptum sibi compararunt, quam recentiores, qui ab inflammatione articulorum seducti, essentiam morbi neglexerunt, haemorrhoidemque a podagra separarunt. Recentissimis autem temporibus ubique fere receptum est usu, arthritidis nomine insignire morbum sui generis, cujus causa proxima est functio systematis abdominalis et venae portarum a norma deflectens cum subsequa dyscrasia sanguinis, formatione materiei propriae arthriticae et exinde evoluta constitutione arthritica.

Character physiologicus.

1. Sedes eminens est venae portarum systema, in quo prima processus arthritici conspicies symptomata. En constantiora: sensum pressionis et oppletionis imo palpitationis trunci venae portarum, regionem inter hepar et lienem, umbilicum et scrobiculum cordis tumidam aliaque, quarum causa proxima est functio

organorum nominatorum, maxime hepatis alienata, jam e colore proprio cognoscenda.

2. In sanguine systematis venae portarum productum formatur sui generis, acidum, in organis huic venae adnexis modo primario, in urinis aliisque secretis modo secundario sese prodens.

3. Producto morboso ad certum usque gradum evecto series phoenomenorum conspicitur de eliminatione materiei morbosae testantium. Peragitur autem eliminatio vel per arterias vel per venas. In primo casu podagra, in altero haemorrhois oritur; ex quibus patet, utrumque morbum primarie unum eundemque esse et nonnisi stadio eliminationis separari.

4. Sanguis venae portarum dyscrasiam init, quam non directe quidem, verum tamen ex mutata bile et urinis cognovimus.

Quamvis systema venae portarum focus sit arthritidum, nihilominus et systema nervorum magnam in compassionem trahitur; et quidem *a)* nervi automatici, quorum turbae somno inquieto, diversis sensationibus morbosis, imo symptomatibus hypochondriasis aut melancholiae typoque tertiano, affectionem provinciae automaticae indigitante produntur atque cum insultibus finiuntur; *b)* nervi organorum eliminationem suscipientium.

Character anatomicus.

Mutationes inveniuntur in quibusdam organis aliae constantes, aliae mutabiles. Pertinent ad priores: lumen venae portarum, hepaticae, imo cavae inferioris a hepate usque ad cor dilatatum; parietes illarum firmiores, crassiores, obscuriores; sanguis venosus magis ater; posterioribus adnumerabis phoe-

nomena alia processui haemorrhoidali, alia arthritico propria. In haemorrhoide occurrit desorganisatio provinciae venosae plus aut minus extensa, praecipue venarum organa pelvis prospicientium, nonnunquam imo venarum omnium, quae facilius discinduntur tunicaque sua externa partibus adjacentibus firmius adhaerent. In arthritide autem proxime provincia arteriosa affecta invenitur. Discrimen processus morbosi utriusque provinciae eminentissime in corde adparet, cujus pars dextra ab haemorrhoide, pars vero sinistra ab arthritide corripitur, illa aneurysma passivum, haec majorem soliditatem substantiae muscularis et depositionem calcariae uricae, phosphoricae et lacticae in apparatum valvularum exhibens.

Praeter systema venae portarum, qua sedem primariam, et praeter systema nervorum praecipue automaticorum et reliqua systemata participia semper sunt, in specie sub processu arthritico, in quo ineunte stadio eliminationis febris adparet, cujus character est plerumque erethicus, nonnunquam in inflammatorium, alias in torpidum inclinare solitus. Primum contingere observatur, si arteriae processum eliminationis suscipiunt, si individuum non in aetate provectum, sed robustum, arteriosum, eliminatio ipsa valida, organon hanc perficiens irritabile est morbusque non diu durat; alterum in casibus oppositis.

Aetiologia.

Causae disponentes.

1. Aetas.

Processus arthriticus non corripit pueros, imo nec juvenes, nisi potentiae nocivae validae, praesente dispositione haereditaria, vim suam exercuerint.

2. Dispositio haereditaria.

Proles a parentibus eodem morbo laborantibus progeniti, certa aetate facilius corripiuntur aliis.

3. Habitus;

a) arthriticus, sese compage corporis procera, firma, thorace lato, organisque respirationis bene conformatis prodens;

b) haemorrhoidarius, cujus signa sunt thorax angustus, hepar magnum, abdomen expansum;

c) atrabiliarius.

4. Processus morbosi analogi:

Rheumatismus, syphilis, imo scrophulosis.

Causae excitantes.

1. Quae organorum digerentium modo sive directo sive indirecto debilitatem causare valent potentiae, arthritidi aut haemorrhoidi provocandae pares sunt. Directe debilitant: victus vilis, insipidus, parcus; coitus immaturus, nimius etc.; indirecte vero victus multum nutriens, condimentis obrutus, potulenta spirituosa immodice hausta, drastica imprudenter in usum vocata etc.

2. Quaecumque processum chilificationis eo alterant, ut partes combustibiles augeantur, e. g. vita sedentaria, aër corruptus etc.

Momenta hucusque enumerata anomaliis in vena portarum producendis paria sunt; quod vero hoc malum primarium in altero arthritidem, in altero haemor-

rhoidem producat, a diversis dependet. Occurrit quippe arthritis saepius haemorrhoide in sexu virili, in individuis habitus arthritici, sub potentiis directe nocentibus, in regionibus, quarum incolae solis fere carnibus vescuntur, regnante genio epidemico inflammatorio. Haemorrhois olim frequentius deprehendebatur, quum moris fuisset, tincturis amaris, plerumque aloën continentibus, scopo prophylactico contra mala multifaria uti.

Decursus morbi totius chronicus est, singulorum paroxysmorum vero modo chronicus modo acutus imo acutissimus.

Exitus sunt:

1. Sanitas perfecta;

2. Sanitas partialis. Productum morbosum, pro diversitate organorum, in quibus deponitur, diversas producit functionum turbas. Sic motus difficilis, quin anchylosis in articulis; stenocardia, angina pectoris in corde etc. oriuntur;

3. Alii morbi. *a)* Inflammatio, quae praecipue e processu eliminationis turbato aut suppresso oritur, *b)* hydrops vel activus vel passivus; *c)* febris intermittens; *d)* tuberculosis, praeprimis cerebri et pulmonum; *e)* morbi psychici, saepissime melancholia;

4. Mors, quae sub processu stricte sic dicto arthritico vel vehementia febris cum subsequa exhaustione virium vitalium, vel suppresso insultu articulorum arthritico, vel viribus vitalibus sensim exhaustis et aliis inducitur. Haemorrhois autem lethalis evadit nunc vehementia haemorrhagiae, nunc suppressione eliminationis et similibus.

Prognosis.

Processus arthriticus in genere, quousque limites suos, systema nempe venae portarum non transgressus est, morbum sistit molestum quidem, ast, nisi per annos jam perstiterat, non periculosum. Sic et singuli paroxysmi, quamdiu decursus normalis gradusque medius manserit, periculo carent, quod quando intrare possit, ex exitibus utriusque formae perspicies. Quoad sanationem adnotandum est, morbum quamvis difficile eradicandum esse, non tamen omni medelae illudere.

Therapia.

Indicatio prophilactica.

Dispositione haereditaria praesente maximi momenti est, jam a prima aetate talem vivendi rationem et occupationem inducere, ut evolutio morbi praepediatur aut saltem in longinquum protrahatur.

Indicatio causae.

Huc spectat imprimis regimen diaeteticum. Alimenta itaque, directe systema gastricum debilitantia commutentur cum magis nutrientibus, iisque magis e regno animali quam vegetabili desumendis; victui autem multum nutrienti, condimentis diviti, potulentis spirituosis contraria substituantur. Praeterea commendandus est aër liber, purus, siccus, motus in eo frequens, diligens corporis virium exercitium, tempestatis vicissitudinibus adsuescendi conatus; frequens balneorum egelidorum et frigidorum usus, natationes; vestitus anni tempori adcommodatus, cupidinum atque pathematum refraenatio.

Indicatio morbi.

Cura processus arthritici in genere duplex est: morbi totius et singulorum paroxysmorum. In primo casu indicationes duae sunt implendae:

a) formationem et accumulationem producti morbosi praecavere;

b) accumulatum evehere.

Indicationi primae regimen diaeteticum jam expositum pro maxima parte respondet. Succurritur huic praeterea alcalia porrigendo et secretiones cunctas promovendo. Hinc tantae laudes diaphoreticorum, diureticorum et catarthicorum in arthritidum formis. Quae medicamenta non sine discrimine in usum vocanda esse, sponte elucet; medicus potius semper attentissimus sit oportet, qua via moliatur natura eliminationem, qualis regnet character en- et epidemicus etc. Inde etiam concipiuntur tantae medicorum contradictiones respectu medicamentorum, altero diaphoreticis, altero aliis laudes summas tribuente. — Ut producta morbosa destruantur et in statum neutralem transducantur, iterum alcalia praestantissima sunt remedia.

In cura paroxysmorum singulorum ante oculos teneas necesse est, paroxysmos significationem habere criticam; ex quo sequitur, quod

a) non sine damno evolutio paroxysmi turbari possit, quum productum morbosum versus alia organa petere cogeretur;

b) suppressio eliminationis jam evolutae aegris maximum periculum, imo mortem adferat.

Id quod de affectione topica prolatum est, valet etiam de febri concomitante, quae nequaquam qua sim-

plex synocha considerari depletionibusque sanguinis praescindi patitur, quin morbus organa peripherica relinquat. Hinc febris nonnisi mitiganda est, si valida deprehenditur.

Indicatio symptomatica.

Sub decursu morbi conspiciuntur subinde symptomata totam medici attentionem postulantia, qualia sunt: haemorrhagiae validae in haemorrhoide, inflammatio, exulceratio mariscarum etc.

H a e m o r r h o i d e s.

A. Haemorrhoides regulares.

Symptomatologia.

1. Stadium affectionis venae portarum.

Organa, huic venae adnexa, sensum pressionis, plenitudinis, tumescentiae prae se ferunt. His accedunt turbae chylopoëseos; dyspepsia nempe cum bulimia alternans, sensus pressionis post pastum, ructus male olentes, acidi, pyrosis; alvus nunc obstipa, nunc diarrhoica, color luridus, segnities, signa hypochondriasis, quae omnia tempestate calida, cibis et potibus irritantibus, spirituosis, praeprimis vino et coffea augentur. Duratio hujus stadii est varia.

2. Stadium congestionis.

Aegroti torquentur doloribus trahentibus, prementibus, scindentibus ad regionem sacralem sub-

inde usque ad femur protensis et tumore venarum haemorrhoidalium semper, saphenae in feminis saepius quam viris notatis. Tumores venarum aut infra aut supra ani sphincterem inveniuntur; hinc haemorrhoides coecae externae vel internae, quae vel simplices vel inflammatae, exulceratae imo gangraenosae sunt.

3. Stadium secretionis.

Congestione intestini recti ad summum gradum evecta, aegri ad sellam coguntur; subinde sub doloribus vehementissimis excrementa alvina evacuaturi pauco muco et sanguine signata. Cum sanguine minori aut majori copia serius profluente symptomata congestionis abdominalis minuuntur aut penitus cessant.

Symptomata concomitantia sunt:

a) sudor haemorrhoidalis inter nates, in facie femorum interna et in genitalibus adparens, proprie olens et corrodens;

b) impetigo haemorrhoidalis, quae occurrit in locis nunc nominatis, serius etiam aliunde, nunquam vero in facie, sub forma macularum rubrarum vesiculis copiosis obsitarum;

c) degeneratio membranae mucosae rectum obvestiente in eo consistens, quod membrana mucosa incrassata et firmior, parietes venarum quoque firmiores fiant saccosque forment variae magnitudinis nunc laxos nunc sanguine tumentes.

B. Haemorrhoides irregulares.

Sub hoc nomine intelligimus haemorrhoidem, in qua stadium congestionis et secretionis non venae intestini recti sed aliorum organorum suscipiunt. Pertinent huc proxime intestina tenuia et lien, quae sub forma Melenae sive morbi nigri Hippocratis, in primo casu deorsum, in altero sursum, materiam propriam atram, piceam eliminant. Sic et renes, vesica urinaria, nec non uterus congestionem et secretionem perficiunt.

Ast non solum organa infra diaphragma, sed et plura supra illud sita haemorrhoide corripiuntur; cor puta sub forma aneurismatis passivi, pulmones, cerebrum et medullam spinalem.

Utrum in hoc an illo organo sedem figat haemorrhois, partim a potentiis decursum a norma deflectentibus, partim a potentiis diversa organa irritantibus dependet.

Aetiologia.

Causae internae et externae maxima pro parte cum iis coincidunt, quae prius adnotabantur in tractatu de arthritidum formis in genere.

Exitus.

1. Sanitas.

Hic interest, discrimen facere inter terminationem singulorum paroxysmorum et totius morbi, quorum priores absque crisibus, posterior autem his, saepissime per tractum intestinalem perfectis finiunt. Caveas tamen, ne haemorrhoidem decrepiditate adpropinquante aut

jam praesente ex atonia cessantem qua sequelam morbi fauste judicati habeas.

2. Sanitas partialis.

Evolvitur nempe nonnunquam inflammatio vasorum haemorrhoidalium cum sequente gangraena aut exulceratione, quarum posterior causa evadit fistularum ani.

3. Alii morbi, et quidem

a) arthritis stricte sic dicta;

b) tuberculosis, praeprimis ventriculi ad pilorum;

c) carcinoma prostatae, uteri, intestini recti;

d) inflammatio;

e) hydrops;

f) mania abdominalis, sub qua aeger, alvo pertinaciter obstipa ideam fixam gerit, sese de crimine commisso judicio traditum iri.

4. Mors, quae sequitur vel vehemente haemorrhagia, vel desorganisatione organi nobilioris etc.

Prognosis.

Diversa est.

Infaustam minantur dispositio hereditaria; morbus mature intrans; stadium posterius; causae excitantes non aut difficulter amovendae; formae anomalae; haemorrhagiae profusae; exitus in degenerationem organorum.

Therapia.

Indicatio prophilactica.

Locum habet dispositione hereditaria vel imo habitu haemorrhoidali praesentibus, evitando causas, stasim abdominalem aut incitationem pelvinam adferentes.

Indicatio morbi.

Duplex est: morbi totius et paroxysmorum singulorum.

Morbum totum tractantes sequentia observent:

1. Evehatur ex organismo productum morbosum in systemate venae portarum sese continuo formans, cui scopo omnia collatoria inservire possunt, praeprimis cutis externa et canalis intestinalis, quae, neglectis reliquis sola, quamvis vitiose, olim impendebantur. Quo organo se- et excretorio maxime uti necesse sit, a genio en- et epidemico, individualitate et a quibusdam nutibus naturae dependet, ut in generalibus docebatur. — Inter medicamenta, quae producto morboso efferrendo paria sunt, sulfur et crystalli tartari maximam sibi laudem meruerunt. Saepissime autem necessarium est, ut facilius scopum nominatum assequamur, alcalibus fixis aut terris alcalinis, acida praevalentia neutralisantibus uti. Symptomata nervorum abdominalium sub forma colicae vel spasmi haemorrhoidalis nota amovenda sunt, id quod valent asa foetida, gummi ammoniacum, galbanum, achillea millefolium. Vide tamen, ne vehementem congestionem aut jam inchoantem inflammationem ex haemorrhoide suppressa ortas pro colica habeas aegroque detrimentum pares.

Organis digestionis semper debilibus succurrendum est medicamentis roborantibus gradui languoris adcommodatis nec non regimine diaetetico supra jam exposito.

Sunt etiam, qui lac, fructus horraeos et aquas soterias commendant. Priora duo vix aliquid valent, quum generationem acidorum facile adjuvent; aquae soteriae omnino sunt remedia divina, nequaquam tamen sine discrimine adhibenda. Ex aquis salinis (solventes acidulae carbonicae, Kaiser) Salzbrunnensis et Kissingensis individuis conveniunt plethoricis, qui coenam gerunt lautam et luxuriosam vitamque sedentariam, in primo, ad summum secundo morbi stadio; thermae vero Carolinae et Wisbadenses, ubi praeterea arthritis et haemorrhois alternant; nunquam autem aegris sensilioribus, vitae pauperae et intentionibus mentis adsuefactis. His potius aquae sedativae, quarum primaria Gastunensis est, maximae erunt saluti. Aquis ferratis utantur posteriores, postquam sedativam adhibuerant, aut, qui haemorrhagiis in statum torporis dejecti sunt; aquae denique hydrothionicae quadrant in haemorrhoide sub forma herpetis adparente aut cum impetigine psorico vel herpetico complicata.

1. Therapia haemorrhoidum normalium.

In tractamine haemorrhoidum semper ante oculos haberi oportet, secretionem significationis esse criticae, unde sequitur, haemorrhoides fluentes nunquam repente supprimendas, sed secundum characterem tractandas esse. Methodus itaque exspectativa sit in plurimis casibus, nisi res aliam jubeat, idquod obtinet, si character erethicus in inflammatorium aut torpidum mutatur, aut fluxus sanguinis vel exiguus est, vel penitus desideratur. Posteriori casu fluxum adjuvare interest, non tamen ope aloës aliorumque pellentium, ut olim moris erat, sed pediluviis, cucurbitulis siccis in internam femorum faciem adplicatis, hirudinibus, vaporibus, bal-

neis; interne saponaria, taraxaco, gramine, kali tartrico acidulo et neutro. Fluxus e contra vehemens minui, aut exhaustionem minans supprimi debet, et quidem fluxus per rexim mariscae turundis, et remediis stipticis etc., e secretione autem nimia ortus remediis internis: acidis, aut his a ventriculo recusatis, salibus ferratis, alumine solo, vel gummi kino juncto restringitur vel penitus prohibetur. Vasis haemorrhoidalibus inflammatis opponuntur remedia antiphlogistica topica; hirudines puta in vicinitate tumorum adposita, cataplasmata emollientia, vapores et balnea tepida. Inflammatio in suppurationem properans, calore humido maturetur, abscessusque modo aperiatur, ut fistula ani evitetur. Quodsi autem magnitudine tumoris excretio alvina difficillima fit, imo penitus prohibetur, incisio tumoris sola valet, contentum sanguinem amovere excretionemque alvi restituere.

2. Therapia haemorrhoidum anomalarum.

In curandis formis animalis indicationes obtinent sequentes:

1. Haemorrhoidem anomalam in normalem convertere, id est, congestionem sanguinis versus anum dirigere ibique secretionem restituere.

Ad quem scopum assequendum magni momenti est distinguere:

a) utrum haemorrhoides jam fluentes sensim cessarint aut repente suppressae sint; an

b) statim formam anomalam induerint.

Haemorrhoides repente suppressae omni conamine fluentes restituantur oportet phlebotomiis in pede, hirudinibus ad anum, cucurbitulis cruentis ad internam faciem femorum, frictione femorum panno laneo. Interne ordinentur eccoprotica mitiora, imo fortiora, uti pulpa tamarindorum, sales tartrici, sulfurici. In alio quocumque casu congestio ad anum nonnisi sensim ducitur. Aloë, huic scopo olim sine discrimine commendata, convenit solummodo individuis torpidis, in quibus praeterea nec congestio ad alia organa, nec irritatio systematis sanguiferi observatur. Ast, etiam ubi usus hujus remedii non contraindicatur, semper cautissime adhibendum et tartaro tartarisato aut aliis salibus neutris — praesentibus autem symptomatibus systematis nervosi abdominalis — aqua laurocerasi copulandum est. Postquam sub usu aloës, sulfuris aut meri aut therebinthinae juncti tumor vasorum haemorrhoidalium et pruritus ad anum inducti fuerant, congestio in secretionem remediis jam notis convertatur. Tumore venarum laxo symptomatibusque nervosis praevalentibus achillea millefolium et aloë quadrant, quae pediluviis irritantibus adjuvantur.

2. Quae congestione haemorrhoidali premuntur, organa liberare. Quod assequeris non solum derivantibus modo enumeratis sed praecipue evitando quaecumque irritantia atque adhibendo organa a congestione liberantia. Organo itaque ob copiam sanguinis congesti in functione inhibito sanguis detrahatur.

3. Irritationem organi congestione haemorrhoidali obruti obtundere narcoticis.

Quodsi in haemorrhoide anomała stadium congestionis in illud secretionis abiit, indicationes locum

2 *

habent haemorrhagiarum, quas impleturi non praetervideamus malum cardinale, id est haemorrhoidem anomalam.

Arthritis stricte sic dicta.

A. Arthritis normalis.

Symptomatologia.

1. Stadium formationis materiei morbosae cum illo haemorrhoidum concordat.

2. Stadium eruptionis. Communiter tempore nocturno insultus arthriticus irruit articulationem digiti primi unius vel utriusque pedis, nonnunquam et alias articulationes sub symptomatibus inflammationis affectione febrili notatae.

3. Stadium floris. Symptomatibus inflammationis localibus vix mutatis febris pedetentim decrescens sub decursu normali versus diem 14. evanescit.

4. Stadium desquamationis. Dolores articulorum, facultate movendi non iterum redeunte in sensum pruritus mutantur cutisque desquamatur. Quo facto aegri reconvalescunt, usque dum citius aut serius novus intret insultus.

B. Arthritis anomala.

Formae arthritidis anomalae sunt:

1. Arthritis articulorum:

a) chronica, cujus symptomata restringuntur ad dolorem prementem et temperaturam quidquam adauctam;

b) oedematosa, in qua tumor et facilis rubor articulationis pedis, primo periodice revertens, serius ad genu usque propagatur doloribusque scindentibus ab alio oedemate dignoscitur.

2. Arthritis ossium vel cranium vel vertebras occupans, exostosesque causans, quibus in illo dolores vehementissimi, imo si in interna cranii facie crescunt, symptomatu irritationis et pressionis cerebri; in his, nervos e medulla spinali exeuntes premendo, paralyses extremitatum, imo organorum internorum inducuntur.

3. Arthritis systematis vasorum sanguiferorum. Vel enim cor sinistrum processu corripitur arthritico sub forma inflammationis membranae internae, cujus sequela est metastasis salium arthriticorum in apparatum valvularum stenocardiam producens; vel arterias coronarias cum sequentibus symptomatibus anginae pectoris, quae etiam asphyxia cordis audit; (Schönlein) — vel denique arteriae aliae praeprimis extremitatum inferiorum. Ossificationes vasorum et gangraena partium vicinarum exitus sunt communes hujus processus morbosi.

4. Blenorrhoeae arthriticae, quae in omnihus propaginibus membranae mucosae occurrere possunt.

5. Arthritis organorum parenchimatosorum, saepissime renum et prostratae sub forma inflammationis calculosae.

Diagnosis.

Diagnosis arthritidis, praecipue normalis e dictis sat elucet. Ne tamen cum rheumatismo, quem nonnulli ab illa dignoscere perarduum putant, confundatur, symptomáta insultus non solum praesentia, sed etiam praegressa bene examinanda sunt.

Aetiologia.

Quum momenta interna et externa cum iis, quae in generalibus de arthritidum formis enumerabantur, conveniant: repetitionem eorum superfluam censeo solumque adnoto, insultum nonnumquam influxu etiam mechanico provocari.

Decursus.

Morbus totus chronicum, paroxysmi singuli modo acutum, modo chronicum observant decursum.

Prognosis.

In genere infausta est; morbus enim pertinet inter eos, qui difficillime sanantur. Prognosim faustiorem tamen promittunt absentia dispositionis haereditariae, evolutio morbi sera, causae facile amovendae, insultus

leves atque intermissiones longas celebrantes, forma normalis, maxime autem voluntas et perseverantia aegri.

Therapia.

Quaecumque quoad prophylaxim et reliqua in genere dicta sunt, et hic valent. Restat igitur solummodo pauca commemorare ad potulenta, vestitum et temperaturam spectantia. Omnis potus, qui systema sanguiferum irritat, non minus ac omne acidum nocet; hinc praecipue vinum acidum novum. Temperatura aequabilis modice calida convenit. Petant igitur aegri, si possibile, regiones, ubi repentinae temperaturae et aëris vicissitudines non occurrunt; quodsi autem iis impossibile est, corpus saltem vestitu laneo contra injurias aëris atmosphaerici muniant.

I. *Indicatio morbi totius triplex est*:

1. Productum pathicum neutrum reddere;

2. formatum ex organismo educere, hacque ratione paroxismos praecavere;

3. formationem producti morbosi novi praecavere.

Indicationi primae alkalia respondent, quin tamen omnia omnibus conveniant. Alcalia stricte sic dicta, in specie subcarbonas sodae digestioni languidae amica sunt; terrae vero alkalinae, imprimis lapides cancrorum in multo acido phosphorico, eminenter in urinis conspicuo quadrant.

Secundae indicationi jam prima pro parte satisfacit; nam materiae acidae alkalibus neutrae redditae minus irritant faciliusque excernuntur. Maxime autem paroxysmi praecaventur eliminando materias morbosas, quem scopum ut assequantur medici, alii diaphoreticis, alii narcoticis, alii emeticis etc. principatum tribuerant. Vitia hujus generis methodorum jam prius demonstrabantur; hic solummodo repetere sufficit, medicum ad nutus naturae monentis adtentum esse, atque modo hoc modo aliud organon se- et excretorium adgredi debere.

Tertia indicatio in eo consistit, ut organismus totus, praeprimis organa digestioni inservientia debilitata roborantibus amaris, a mitioribus ad fortiora procedendo, extollatur. Cavendum maxime, ne roborantia, acido in primis et secundis viis praesente porrigantur, quum ea, uti pulvis antipodagricus de Portland saepius jam fecit, apoplexiam inducere valeant. — Solventia tonica sicut ex roborantibus china in individuis decrepitis, senio confectis viribusque adeo jam delapsis, ut nec ad formationem et eliminationem producti morbosi res veniat, ubi potius jam symptomata hydropis torpidi adsunt, unica sunt remedia, quae adhuc salutem adferre possunt, praeprimis si cortex chinae stimulantibus volatilibus, in specie tincturae nervino-tonicae Bestuscheffii copulatur.

Sunt adhuc quaedam methodi perlustrandae. Rhododendron, aconitum, praeparata antimonii, sulfur, balsamum sulfuris et similia, quae qua specifica in arthritide laudantur, in genere vituperanda sunt, quia facile gastritidi chronicae causandae inserviunt. Aliud specificum — l'eau médicale — non magis valet, ac priora, nam non semel arthritidem ab articulis in partes internas propellere visum est. Methodus a Cadet de Vaux crisim cutaneam colliquativam reddit, organorum digestionis debilitatem auget, imo paralysim systematis ner-

vorum abdominalium inducere potest. Majori utilitati est methodus inunctoria, a Rust commendata et adhibita aegris junioribus, robustis, plethoricis. De aquis denique mineralibus sequentia valent. Aquae salinae (ex solventibus acidulae carbonicae, Hartmann) in specie thermae a pluribus sine discrimine laudantur. Quamvis non dubitandum sit, quin saepe salutem adferant, nihilominus tamen non omnibus conveniunt. Nam aegri fortes, plethorici, congestione frequente versus organa superiora laborantes, eas non ferunt; arthritis enim ex articulis quidem evanescit, congestio autem augetur et metastasis producti arthritici in organa cranii et thoracis producitur; vere divina remedia sunt in exitibus arthritidis: in contracturis, anchylosibus, paralysi, si systema sanguiferum non irritabile, copia sanguinis exigua est et ubi potius symptomata nervosa intercurrunt. Pertinent huc aquae Carolinae e thermis et Kissingensis e frigidis. — Aquae e muria (Solenbäder) in complicatione arthritidis cum scrophulosi, maximas vero in individuis cute tenera, facile sudante, magna musculorum irritabilitate praeditis laudes merentur. Aquae hydrothionicae in formis arthritico — impetiginosis; ferratae in morbo inveterato exhaustioneque, insultibus vehementibus, frequentibus aut cura perversa inducta, utiles sunt. Neutrae tandem aquae (vide Kaiser: „tabulae memoriales") quarum repraesentantem thermas Gastunenses novimus, miracula edunt in arthriticis senio confectis.

II. *Therapia formarum singularum:*

A. Arthritidis regularis.

Curam paroxysmorum character reactionis localis et universalis dirigit. Character erethicus (subinflammatorius) methodum utplurimum exspectativam expo-

scit. Artus dolentes, leniter tecti quietissime teneantur et stupa cannabina vel linea vel strophio lineo bene siccato et calefacto obvoluti foveantur. Regimen sit antiphlogisticum potulentaque semper tepida porrigantur. Character autem synochalis moderandus est vel antiphlogisticis vel narcoticis. Priores in usum vocantur, si symptomata altiorem inflammationis gradum indicant; si itaque tumor et rubor notabiles, doloresque vehementissimi sunt. E penu narcoticorum decoctum capsularum papaveris somniferi cum seminibus lini pro fomentis adhibetur.

Reactioni universali methodus antiphlogistica opponitur, nec exceptis phlebotomiis; cum summa tamen cautela, ne medicus pulsu duro et tenso urinisque flammeis vesperi (tempore nimirum exacerbationis) observatis ad depletiones sanguinis seducatur, febrim hac ratione infringat processumque morbosum ad interiora depellat. Phlebotomia solummodo exposcitur, si etiam tempore remissionis (matutino) ista signa non cessant. Diaeta sit simul parcissima, potulenta refrigerantia, medicamenta interna e penu eccoproticorum.

Si character torpidus est, cura topica et universalis evolutionem paroxysmi sibi proponit. Huic scopo inserviunt, remedia systema sanguiferum stimulantia, juncta cum iis, quae systema nervorum sollicitatum sopiunt. Huc pertinent praecipue fomenta a Bradier commendata (Schönlein) externe, tinctura gentianae composita, aut aliae balsama tenentes interne adhibitae, quae viribus vitalibus collapsis cum stimulantibus junguntur. His adnumeratur camphora, praeparata ammonii, sulfuris et victus nutriens, imo irritans et talia potulenta e. g. Punsch. Sub hac cura plerumque stadium criseos intrat.

B. Arthritidis anomalae.

a) *Retrogradae.* Arthritis vel repente vel sensim partes externas relinquit. In utroque casu summi momenti est, eam ad artus relictos revocare, idquod ibi sinapismus, vesicans, aqua fervens, linimentum ex ammonio et pinguedine; hic irritantia mitiora, frictio cum panno laneo et linimento volatili, cum petroleo et pinguedine etc. valent;

b) *arthralgiae anomalae.* Haec exposcit irritamenta externa et interna. Prioribus accensebis involutionem artuum stupa cannabina, strophio lineo, panno etc.; posterioribus guajacum et alia, quae irritationem systematis sanguiferi et validas excretiones adferunt. Symptomatibus gastricis praesentibus guajaco emeticum praemittitur;

c) *affectionis arthriticae columnae vertebralis.* Stadio primo antiphlogosis topica, unguentum mercuriale et cataplasmata emollientia; serius in paralysi irritantia, imo moxa indicantur;

d) *arthritidis cephalicae.* Tophis nondum formatis morbo opponitur involutio capitis, fomenta calida et methodus derivans; illis autem jam praesentibus praeter methodum inunctoriam nondum sat confirmatam nil facere restat;

e) *arthritidis cordis.* Salus nonnisi in principio speranda est; metastasis producti arthritici semel jam

facta curam radicalem denegat; sit igitur dein solum palliativa: antiphlogosis topica, praeprimis derivans et quidem in regione cordis; interne diaphoretica et diuretica ordinentur;

f) *diarrhoeae arthriticae*, cui sopiendae demulcentia cum alcaliis et narcoticis, excepto opio, paria sunt. Virtutem nominatorum adjuvant balnea caustica, vaporosa;

g) *affectionis arthriticae viarum respiratoriarum.* In omni casu cura sit sequens: irritatio vehemens narcoticis, stramonio, hyosciamo, cicuta (non opio) sopiatur et diaphoresis sulfure interne et externe in diversis formis et praeparatis augeatur. Utraque remedia adminiculum habent in irritamentis cutis, vesicantibus nempe, unguento Autenriethi etc. Quibus hydrothorax minatur senibus, diaphoretica cum diureticis ordinentur. Denique non praetervidenda est actio eminens vaporum, quales in thermis inveniuntur;

h) *blennorrhoeae viarum urinalium.* Formationi acidorum praevalenti alcalia opponuntur; irritatione autem praesente narcotica, lenientia et balnea emollientia; inflammatione antiphlogistica prius adhibentur.

Inflammationes arthriticae, sive primariae sive secundariae decursu suo rapido terribiles sunt. Cura earum jam ab omni initio sit strenue antiphlogistica, cui ob acidum copiosum alcalia, ob irritationem validam narcotica adduntur. Inflammatione per schematismum orta affectio ad partes relictas modo jam noto revocanda est.

Cura recidivarum sic et concretionum in artubus diversa est secundum diversum stadium. Partes in stadio adhuc irritationis versantes antiphlogosi topica tractentur, cataplasmatibus puta emollientibus et balneis tepidis. Si irritatio ultima disparuit, dein tempus est irritantia caute adhibendi, inter quae usus tartari emetici, balnea vaporosa et Douche excellunt.

VIII.

Libri medici populares non interdicendi sunt.

IX.

Sedes morbi ex functione organi laesa utplurimum dignoscenda.

X.

Non datur arthritis acuta, sed omnis arthritis est chronica.

XI.

Variola tutoria inter momentosissimas, quas fecit medicina inventiones, pertinet.

XII.

In inquisitione forensi medica, quaestiones proferre medici est, non judicis.
